



Misc. 6<sup>me</sup>

cat. 1, 63.



R E C T O R

ACADEMIAE VITEBERGENSIS

GEORGIUS AVGVSTVS

LANGGVTH

PHILOSOPH. ET MEDIC. D. PATHOLOG. ET  
CHIRVRG. P. P. ORDINARIVS FACVLTAT  
MEDICAE SENIOR

*CIVIBVS ACADEMICIS*

S. P. D

ET AD SACRA CHRISTI TRIVMPHANTIS  
PASCHALIA

CELEBRANDA INVITAT

---

IN EST DE CHRISTI EIVSQVE MARTYRV M VESTE PALMATA

---



R E C T O R  
 ACADEMIAE VITTEBERGENSIS  
 GEORGIVS AVGVSTVS  
 LANGVATH  
 PHIOLOGVS ET MEDICVS PATROLOGVS ET  
 CHIRVRGVS P. OPERARIVS FACULTATIS  
 MEDICAE SENIORIS  
 CIVIBVS ACADEMICIS  
 S. T. D.  
 ET AD SACRA CHRISTIANISSIMAE  
 TASCALIAE  
 UNIVERSITATIS

---

HANC ACADEMIAM VITTEBERGENSEM  
 A. M. D. C. LXXV. FUNDIT ET  
 A. M. D. C. LXXXV. REFORMAVIT  
 SIGISMUNDVS SEBASTIANVS  
 ELECTOR SACCHEAE

---



---

DE  
TRIVMPHANTIVM VESTE PALMATA  
Q V A M  
TERTVLLIANVS APOLOGET. C. L  
MARTYRIBVS CHRISTIANIS  
A D T R I B V I T

---

**R**edeuntibus his paschalibus sacris, merito celebrat gratias et laetis animis uniuersus Christianorum coetus memoriam Christi de mortuis resurgentis, prostrataque atrocissimorum hostium ui et audacia, pulcherrimum triumphum agentis. Pugnatat pugnam grauissimam, sed nobis omnibus maxime salutarem. Fuderat sanguineum sudorem, sed ad eluenda humani generis peccata summe necessarium. Vulneribus confossus incredibiles dolorum cruciatus sustinuerat, sed ut iram Dei nostris criminibus offensi placaret. Mortem denique ipsam subierat, sed ut a mortalibus aeternae mortis necessitatem auerteret.

Nunc ecce rediit in uitam gloriosissimus uictor, et quo acerbiora atque indigniora ultro erat perpeffus, tanto magnificentiore iam pompa triumphans caelum ingreditur. Videor mihi illum uidere albis uestum quadrigis, indurum ueste palmata, redimitum lauro, et serenitate frontis ac maiestate uultus omnia exhilarantem ac commouentem. Praecedunt curram, Dux omnis malitiae ab initio, Mors uitae insidiator, inferorum Princeps cum tota sua turba, Imperator exercitus malorum spirituum, inermes et manibus ad tergam reuinctis. Sequuntur spolia opima, imagines

gines deuictorum deletorumque totius mundi criminum, et multitudine innumerabilium, et magnitudine immensorum, et atrocitate horribilium atque infandorum. Gaudent et gratulantur, qui succedunt, Sancti, ruptis sepulcris in uitam reuocati, stolis induti albis, palmas tenentes manibus. Halleluiah illorum per auras in sublime resonat, et surgens de aris fumigantibus suauis odor latissime spargitur. Agmen claudit et pompam, omnis albata cohors caelestis militiae inter maximos plausus epinicium concinentes.

Hanc triumphantis Christi uelut imaginem excitauit et obiecit menti nostrae illa recordatio, quod memineramus, quam apte ad afficiendos hominum animos a Veteris Ecclesiae Doctorebus agones martyrum christianorum essent cum triumpho pompa collati.

Nam TERTULLIANVS quidem, Christianos a calumnia defendens, quasi desperatione adacti animos obstinatione indurauissent, quod ultro cruciatus subirent, mortique sese obitterent, ostendit capite *Apologetici* ultimo, eos more fortissimorum agere militum, qui bellum sumant licet non amarent, et de uictoria gaudeant, in cuius consequtione trepidassent. Eam esse ueram constantiam, quae factis sese, non uerbis, prodat, et quae apud Deum gratiam, non apud homines laudem, quaerat. Admirandam esse sapientiam diuinam, quae, quod Christianorum sanguinem uellet ipsorum esse semen, obstinationis exemplo indies plures gigneret, qui Christum amplecterentur. Sigillatim de iis martyribus, qui Semaxarii et Sarmenitii dicebantur, scribit: *Vicimus,*

a) *Apologet.* c. L. p. 428. edit. *Hauerkamp.* Quem TERTULLIANI locum et duo eius, de *ueste palmata* alios l. de *Idololatr.* c. XVIII. l. de *Corona militis* c. XIII. corollario quodam, satis prolixo tentauit ERN. SAL. CYPRIANVS adiecto illo Disputationi de *Omophorio*

*Episcoporum Graecorum,* praefide I. A. SCHMIDIO, Helmst. 1698. P. P. Ueberius potinmodo breuiuscula scriptioe eadem exposuit, quae inter *Schelta* eius *Programmata* Coburgi 1708. in 8. edita, primum est. Illud Corollarium autem a Cypriano fuisse profectum et peculiari

mus, quum occidimur: denique euadimus, quum obducimur. Licet nunc Sarmentitios et Semaxios adpelletis, quia ad stipitem dimidii axis reuincti sarmentorum ambitu exurimur. Hic est habitus uictoriae nostrae: haec Palmata Vestis: tali curru triumphamus. a)

Ita Presbyter ecclesiae Carthaginensis attribuit martyribus, qui pro Christo caducam uitam ponebant, ut obtinerent aeternam, et currum, insigne triumphi, et uictoriae habitum, VESTEM PALMATAM.

Quum igitur nunc aliquid a nobis conscribi debeat, quod CIVIBVS NOSTRIS, inuitamento atque incitamento sit, ut hos festos dies, Christo in uitam reuocato sacros, ita, ut par est, nobiscum concelebrent: indulgamus paullisper huic studio nostro antiquarum rerum christianarum, et in TERTULLIANI sententiam inquiramus, ut, qua ratione martyribus christianis, atque ipsi triumphanti Christo, PALMATATA VESTIS adscribi possit, cognoscatur.

Loquitur TERTULLIANVS de iis martyribus, qui saeculo p. C. n. altero, in uexatione ab imperatoribus gentilibus excitata, propter fidei in Christum professionem reuinctis manibus ad femi-  
xen tergo alligati, tenuium lignorum fasciculis, quos sarmenta nominabant, circumdati et operti, accenso igne uiui suffocati cremabantur: quomodo Ioh. Hussum Constantiae combustum, ex historia concilii ea in urbe habiti constat. Hoc autem supplicii genus de quibus fumebarur, iis ex re nomina *Semaxiorum* et *Sarmentitiorum* dari solebant. b) Nimirum Pagani superstitionis  
A 3 caligine

culiari dissertatione deinceps praestitum quod promiserat, ignorans IOH. CHR. POLGKE, qui ex historia romana *Vestem Palmatam* Altouffii 1720. P. P. pag. 7. multis, ait, uerbis a SCHMIDIO, quem longe sacratiores sanctioresque occupationes circum septum derineant, non

expectandum esse ut fidem exsoluat, quare se rudiore omnino *Minerva* aliquam palmarum adumbrationem conari.

b) Locos de *Sarmentitiis* et *Semaxiis*, qui, palo adfixi, lento igne consumebantur, apud *Scriptores* praecipue *Apologicos*

caligine oppressi, et in rebus caelestibus penitus coecutientes, ut Christianorum spem futurae ad alteram et beatam uitam resurrectionis, tanquam fallacem et uanam, eluderent, et illorum constantiam frangerent, omnium generum tormentis et supplicijs in eos utendum rati, longe crudelissime saeuierunt, dicentes, Christianorum Deum, quum uiuentibus opem non ferat, multo minus reuinescentibus subuenturum. c.)

Sed Christiani in his ingentibus afflictionum procellis, in hac immanium suppliciorum exquisitissima crudelitate uirtutem serua-

ticos occurrentes, illustrat CHR. KORT-HOLD dist. de nominibus, quibus per ludibrium et contumeliam Christiani olim a profanis adpellati Kil. 1693. P. P. c. 2. ubi ex *Vulcatio Gallicano* refert, AUIDIVM CASSIVM primum id supplicij genus inuenisse. It. IOH. ANDR. MYNNICH. de nominibus quibusdam contumeliosis, quae Christianis olim a Gentilibus imposta sunt, Lips. 1690. P. P. c. 2. p. 6. et THOM. MAR. MAMACHI *Antiquit. Christ.* T. I. p. 118. Figuram supplicij exhibet ANTON. GALLONIUS de *Martyrum cruciatibus* p. 368. Fig. XXVII. Videas etiam tales passim exhibitas in *Menologio Graec.* a Cardinali Albano *Vrbini* in fol. edito T. I.

De poena ignis a ueteribus Ictis *Paulo* l. 5. Sentent. ad L. Corn. de Sicar. *Ulpiano*. l. 6. D. ad l. Iul. statuta in contemtores antiquorum numinum et auctores nouae ac peregrinae religionis, agit WOWERVS ad *Minuc. Fel.* p. 122. edit. *Gronou.* deque rationibus, quibus ecclesiae romanae doctores eandem haereticis i. e. a romana fide secedentibus, decreuerunt, PHIL. a LIMBORG *Hist. Inquist.* p. 185. Roma enim hodierna semper ac-

mulata est antiquam, quam suo iam tempore *Sanctorum Dei debellatricem* TER-TULLIANVS adpellauit. Polycarpum episcopum, Smyrnae, et S. Afram, Augustae Vindel. farnentitios semaxiosque hoc supplicij genere adfectos, Acta Martyrii eorum apud THEOD. RVINARTVM *Act. Martyr.* *Sinc. et Sel.* pag. 27. et 400. edit. Veron. in f. testantur. Confer et CASP. SAGITTARIUM de *Martyrum Cruciat. in primit. ccel. p.* 176.

c) Caecilius apud MINVC. FELICEM c. XII. haec Christianis exprobat: *Ecce uobis supplicia, tormenta, ignes. Vbi Deus ille, qui subuenire reuinescentibus potest, uiuentibus non potest?* Idem ibidem multa disputat contra Christianorum spem resurrectionis *fallax*, ut ait, *solarium redinium.* Christianos caelo et astris interitum denunciare, sibi mortuis, *extinctis aeternitatem repropinquare*, et quae eius plura sunt alia, repetita, et ad ordinem a Caecilio seruatum egregie illustrata a IOH. IAC. HVLDERICO in *Gentili Obtrectatore* f. de *calumniis Gentilium in primaeos: Christianos* cap. praecipue IX. quod agit: *de misere exagitata* *Chri-*



feruabant inuictam, et igne, gladio, bestiis, unguis carnem lacerantibus, Excitabantur potius quam absterrebantur. d) Non enim ignorabant, corpus in cineres compressum nobisque subductum, elementorum custodi Deo referuari: neque dubitabant, quin potentia et bonitas diuina corpori, quod ex nihilo procreasset, in fauillas dilapso antiquam esset formam et faciem redditura. e) Quam Christianorum constantis et inuicti animi uirtutem, certa et firma melioris uitae conscientia nixam, quum Gentiles intelligere non possent, absurdam illam, et ex mera insipientia et stolidissima temeritate ortam pronunciarunt. Hinc Parabolanorum, Biotha-

*Christianor. futurae resurrectionis spe*  
pag. 318 et seqq.

d) GREGORIVS NAZ. Orat. XX.  
Πῶς καὶ ξίφος καὶ ἔρπης, οἱ τὰς σάρκας τή-  
μενοντες Ὀνυχες, τρυφῇ μάλ᾽ ἂν ἡμῶν, ἢ κα-  
τὰ πλῆξιν Sane ut PRUDENTIVS canit:

Tormenta, Carcer, Ungulae  
Stridensque flammis lamina  
Atque ipsa poenarum ultima  
Mors Christianis ludus erat.

Idem fatetur TERTULLIANVS *Apolo-*  
ger. c. XXX. Nos unguulae fodiant, cru-  
ces suspendant, ignes lambant, gladii  
gutturum detruant, bestiae insiliant, pa-  
ratus est ad omne supplicium Christianus.  
Necesse igitur erat, ut subesset diuina  
aliqua ad haec perferenda uis. Nam  
horret animus referre innumera illa tor-  
mentorum suppliciorumque ingenia,  
quae solers infantes in animas, et de-  
uota Deo pectora tyrannis excogitabat,  
proditam martyrum actis EYSEB. PRV-  
DENT. et aliis, longaque maioris sae-  
uitiae ac Phalaridis tauri, Busiridis arae,  
Atrei et Thyestes irae, aut quidquid fu-  
riarum antiquarum saeculorum memo-

ria habuerat. Inter omnes poenas gra-  
uissimum erat ignis supplicium iudice  
c. S. SCHVRFLEISCHIO *Eclog. An-*  
tiquitar. *Martyrolog.* p. 13. nullum au-  
tem supplicii de Christianis summi ge-  
nus, inuictae uirtutis exemplis citius  
erat, quam hoc ipsum, de qua re illu-  
stria specimina collecta habes in IOACH.  
HILDEBRANDI *Ver. Eccl. Martyrum*  
*arte bene moriendi*, c. VIII. p. 147. Nun-  
quam magis heroica primorum marty-  
rum constantia cognita est, quam haec in  
poena ignis, quod pec. diss. offendit GO-  
DOFR. GLEITSMAN. *Lipf.* 1687. P. P.  
et plerique hymni, quos I. G. OSTIVS  
diss. *de Hymnis Martyrum* *Ienae* 1700.  
P. P. exhibet, in rogo ad laudis diui-  
nae celebrationem ab ipsis fuisse de-  
cantati.

e) Ita solatur se Dei corpus nostrum  
restituentis potentia, *Octavius* apud MI-  
NYC. FELICEM c. XXXIV. *Corpus*  
*omne, siue arsit in puluerem, siue in*  
*humorem soluitur, uel in cinerem com-*  
*primitur, uel in nidorem tenuatur, sub-*  
*ducitur nobis, sed Deo clementorum cu-*  
*sodi referuatur.* Idem iisdem fere uer-  
bis

Biothanatorum, Desperatorum nomina, quod Christiani caeco impetu in pericula et mortem ruerent, et lactis uultribus membra sua carnifici torquenda et dilanianda offerrent. *f*) Itaque TERTULLIANVS desperationis atque obstinationis contumeliam ita depellit, ut uictoriam dicat esse certam, quam obtineant Christiani: habere eam placendi Deo gloriam, et praedam uiuendi in aeternum. Vincere illos dum uincantur, et sanguine pro ueritatis confessione effuso diffluentes quasi palmata uicte triumphare. Simul comparat Sarmentitorum et Semaxariorum combustionis supplicia cum triumpho romani pompa: Sarmentorum aceruum cum curru in quo stans uictor emineat, uariiegatum flammaram colorem, damnati corpus ambientium et concremantium

bis e Dei potentia eliciunt *Tertullianus* Apologet. c. 48. *Lactantius, Tatianus, Iulianus M. Athenagoras* de mortuor. refer. PRUDENTIUS uero L. II. in *Symmach.* Deum loquentem facit

— — *Possim renouare fauillas*  
*Antiquam in faciem. Nec desperanda*  
*potestas*

*Qui potui formare nouum, reparabo*  
*peritium.*

*f*) *Parabolani* dicebantur proiectae audaciae homines, qui *παράβολοι ἐγγοῦ* faciebant, stipendii causa in amphitheatro cum bestiis certantes unde *Bestiarii* quoque dicti sunt. Tales, qui inter antiquiores Christianos fuerint, exposuit IOH. GE. WALCHIVS diss. de *Bestiariis* Ienae 1746. P. P. §. praecipue 25. Il igitur Christiani, qui lubentiores cum bestiis pugnare, quam religioni suae renuntiare uolebant, dicti sunt *Parabolani*, quia corpori suo, ut ait LACTANTIUS Instit. L. V. c. 9. minime parant. confer BINGHAM Orig. T. I. p. 24.

et IOH. FR. HEBENSTREIT in *Christiano polyonymo* s. de uariis Christianorum nominibus, p. 114.

*Biorbanati* adiebant quasi sui ipsorum interentores, quod promte se supplicio sisterent, ulro profitescentes, se esse Christianos, qui ideo *Professores* dicti, de qua adpellatione S. F. RIVINI diss. Lipsiae 1739. me respondentem defendisse commemini. Alacriter enim uolentem mortem, qua Gentiles adficebant eos, subiere. Ita BINGHAM Orig. Ecl. T. I. p. 22. Inuenias quoque *βιοθάνατος* quasi *βία* *ἐνόχως* a BARONIO *Annal. Ecl.* ad an. 138. dictos, quod uolentiae mortis sententiae continuo essent obnoxii. SVICERVS autem *Thef. Ecl.* v. *βιοθάνατος*, quasi *uictus* mortuos putat, propter ea, quod per mortem ad immortalitatem se peruenturos crederent. Vide CHR. KORTHOLD: de *nominibus quibus a profanis appellati Christiani* cap. statim primo *Desperatorum* adpellationem explicat Lactantius c. I. *Desperatos uocant, quia corpori suo mi-*  
nimo

tium, cum ueste illa purpurea, palmarum figuris attenuato, in filum auro intexta, qua triumphator indutus fulgeret. Hos denique putat uictorum instar incedere, quos tormenta, quos uexationes, quos imperatores uincere haud queant. Atque hunc habitum ipsis coram Deo et illustri coelitem choro non minus gloriosum esse, quam sit uictori apud Romanos triumphanti, ille uestium palmatarum.

Quibus uerbis nihil, quod uictoriam martyrum, dum uinci uidentur, uincuntium, significantius exprimat, aut clarius illustret, a TERTULLIANO dici potuisset. Est enim palmae arboris haec mira dos, ut semper in altum erecta, et continuo quasi nisu in sublime tendens, nulla sese, quamlibet magna, oneris mole imposita, opprimi sinat. Ideoque palmam Veteres uictoriae athletarum signum esse uoluerunt, g) ut intelligeretur, si quis

nime parum et Caecilio apud MINVC. FELIC. c. VIII homines deploratae incitiae ac desperatae factionis audiunt, adfirmatque TERTULLIANVS l. I. ad Nation. c. 18. *Gentiles obstinationem in Christianis uocare, quod non ignem, non tormenta, ob diuitiam ac contemptu mortis, animo recusat*, quod PLINIUS in Ep. ad Trai. l. X. ep. 97. *peruicaciae, obstinationi*, et amentiae adscripsit. Confer BINGH. c. l. pag. 24. et HEBENSTREIT c. l. p. 112. Omnium autem industriam in explicanda ex ecclesiasticis non tantum, sed et profanis Scriptoribus *Biorbanatorum* adpellatione, superarunt fratres DOMINIC. et CAR. MARCI in *Hierolexico* pag. 83. edit. Rom. 1677.

g) Sic patet ratio, cur Vet. Christiani martyrum tumulos Palma honestauerint, cuius figuras in permultis lapidibus sepulchralibus obuias deprehendes apud PAVLLVM ARINGHIUM in

Roma *subterranea*, ex quo repetitas eas E. S. CYPRIANVS in *Ecclesia subterranea* exhibuit. An uero incisa lapidi figura palmae, indicio certissimo sit, martyra eo loco reconditum esse, nollem contendere. Iuste potius ante aliquot lustra MVRATORIO rem adfirmanti litem mouisse mihi quidem uidetur *Celeb. KAPPIVS* iam caelitis adscriptus, Rationes certe, quas adfert ARINGHIUS l. L. T. I. pag. 342. *edit. Paris.* in fol. parum ualent. Nam Palmam, uictoriae symbolum antiquitus fuisse habitam, et uictoribus post superata laborum certamina datam, nemo negat, et, quia iusti illi homines, qui coram throno agni in Apocalypsi Iohannaea laureati adparent, manu *palmas* tenent; non sine causa iis, qui Christum confitendo de tartariis hostibus uictoriam retulere, palma adscribitur, notissima illa phrasi ecclesiastica: *Martyrii PALMAM adeptus est.* Sed figuram *Palmae*, quandoque uictoriam de ultimo hoste, nimirum morte,

B

## IO DE CHRISTI EIVSQUE MARTYRVM

quis fortiter luctando reportare ab aduersario uictoriam cuperet, eum nunquam debere aut loco cedere aut supplantari se pati. Atque hinc translata est palmae imago etiam in Christianae uirtutis pietatisque disciplinam, quae illam iis adtribuit, qui se in grauissima illa pugna, quae nobis quotidie cum tot et uictorum monstris et uoluptatum illecebris subeunda est, praeclare gesserunt, et acerrimis atque insidiosissimis hostibus, firmo religionis praesidio muniti, ualide resisterunt. Quin sacri libri et ipsi, quum referunt nobis quasique delincent gaudia martyrum, in caelo uictoria ouantium, eos hoc superati certaminis simbolo ornatos proponunt. Vidit enim IOHANNES Euangelista et Apostolus stantes illos coram throno et agno, amictos stolis albis, et manibus *Palmas* tenentes. APOC. IOH. VII. 9. \*)

Neque uero *Sarmentitiis* et *Semaxariis* TERTVLLIANVS! palmam tantum, qua uictores athletae olim superbiebant, sed etiam illum

morte, tantum indicare, a uero haud abesse uidetur. Certius est de iis, qui martyrium auide et cum morae impatientia subierant, dici moris fuisse, eos *PALMAM sanguinis* occupasse.

\*) Egregie hanc Iohannis uisionem illustrauit SAM. SCHELGVIGIVS diff. theol. de *stolis beatorum* Gedani 1692. P. P.

b) Frequens est habitus huius mentio in libris Veterum, qui uocabulis palmatae, uestis palmatae, tunicae, togae palmatae promiscue usi fuisse uidentur. Ita uox *Palmata* nude posita, occurrit apud TERTVLLIANVM lib. de *Idololat.* c. XVIII. insignia dignitatis apud Romanos cum iis, qui apud Babylonios et Aegyptios moris fuerunt, conferentem. VALERIVS MAX. Metellum *palmata ueste* conuiuia celebrasse

sit Lib. IX. c. I. TERTVLLIANVS uero *palmatas togas* sumi memorat Lib. de *corona militis* c. X. *Palmata* denique *tunica* apud LIVIUM Hist. L. X. c. 7. et XXX. c. 15. legitur. Plures locos in primis illum MARTIALIS ad *loricam Domitiani* L. VII. Epigr. I.

I. comes et magnos illaesa merere triumphos,  
*Palmataeque ducem, sed cito redde togae.*

habet IOH. CHR. POLCKE disp. de *ueste palmata* §. VI. p. 17.

i) Nimirum ERN. SAL. CYPRIANVS Progr. de *Ueste Palmata* IOH. CHR. POLCKE Disp. iam laudatis, in primis qui de *re uestiaria* uet. Rom. exposuerant LAZ. BAYFIVS, OCT. FERRARIUS de *re uestiaria* L. II. p. 153. et 205. cedit. Patau. in 4. ALB. RVBENIVS de

lum imperatorum triumphalem habitum adscribit, VESTEM PALMATAM, qua nihil, si consuetudinem romanam spectamus, optari aut cogitari splendidius ac magnificentius poterat. Non iam hic ex romanae antiquitatis memoria repetemus, quaecumque de TUNICA PALMATA b) dici possunt, praesertim, quum alii iam scriptores clarissimi, omnia et diligenter et luculenter exposuerint. i) Sed ea tantum breuiter commemorabimus, quibus intellectus adpareat, quam apta et conueniens a TERTULLIANO haec sit comparatio instituta, quam artificiose talis imago proposita.

Erat autem PALMATA VESTIS plane singularis quaedam, a reliquo inter Romanos uulgari et quotidiano habitu diuersa, purpurea k) super humeros, ad talos demissa, clauis latioribus,isque aureis, instar palmae manus distincta, niuea quidem, ut sentio, rubra tamen purpura praetexta, et palmis decorata tota,

B 2

non

de eadem re in primis de *Lato Clauo* l. I. c. 21. A. MANVTIVS diff. altera de *Toga*, altera de *Tunica Rom.* HIER. BOSSIVS, de eodem arg. qui Tom. VI. *Thef. Antiquit. Rom.* GRAEV. iunctim exhibentur. BOSSII autem diff. T. II. *Novi Thef. Antiquit. Rom.* SALENGERIANI p. 1305.

k) Putant uulgo coccinei rubrique coloris omnem purpuram fuisse apud Veteres. Sed ut taceam Cl. SALMASIVM in Notis ad *Tertullianum de Pallio* pag. 137 seqq. ad ductum Plinii uaria purpurae genera recensentem, ostendere, aliud horum pallidius dilutiusque fuisse; usi sunt Veteres purpura, quae habebat album mixtum, quin et deprehenditur albae purpurae genus pretiosissimum, quod credibile est, quia in triumphali pompa omnia uel alba uel aurea erant, ad uestem triumphantis ad-

hibitum, certe puto non adeo neglectum in ipsa triumphantis ueste candidum colorem uictoriam et laetitiam indicantem, ut coccineo iunctus credi non possit. Sane, quum in romano triumpho hoc colore currus, equi, pueri ad habenas, et ipsa uictima pro uictoria, sortem suam exhibuerint, nil impedit candidam purpuram aureis stellis et palmis micantem, triumphatori adscribere. Purpurae candentis meminit FLVTARCHVS, et PEDO ALBINOVANVS Eleg. II. 62. describens Antonium in Aegypto discinctum, eius brachia purpurea candidiora niue uituperat, ut alia Veterum loca taceam, quae haud sinunt candorem ad purpurei coloris splendorem referre, licet a Latinis per saepe omne dicatur purpureum, quod splendet et fulget.

Certe, quando uestem illam purpuream a MATTHAEO *χλαμύδα ποικίλην* uocatam, qua

non quod rami palmarum adfixi essent, l) aut quod ipsa uestis ex foliis palmarum esset confarcinata, ut in palmea ueste Paulli Thebaei eremitaie pictores errarunt, monachi nugari sunt, m) sed, quod palmarum figuris acu pictis, et ducto in filum auro intextis, distincta erat. Sacra habebatur haec tunica, eamque *Ioanis exunitas* adpellare solebant, quasi Iupiter Olympius ea uteretur, n) adeoque exclusa a quotidianarum uulgariumque censu uestium.

qua milites Christum patientem indutum, quasi scenicum regem exagitarunt, LVCAS cap. XXIII. ἐδῆτα λαμπράν dicit, proprius significatus, qui album et candidum color: m infert, eo minus relinquendus est, quo magis constans Patrum Vet. Eccl. consensus est, albi uel candidi coloris uestem indicari. Vterque color, coccineus et albus, imperatori conuenit, et regi, milites uero Christum tanquam falsum principem et falsum regem ludibrio exponere uoluerunt. Albam quoque chlamydem non negat, quamquam pro chlamyde coccinea sententiam dicit, I. G. BERGERVS diff. de *purpura Christi patientis* p. 46. *Siromar. Acad.* Non inepte quidam putarunt optimum Seruatorem albo colore his in terris uersantem fuisse distinctum, uestesque eius e natua lana fuisse textas, declaraturas nihil in ipso fictum, omnemque a suis simulationem fugiendam esse. Vide VRB. GOD. SIBERI diff. de *Albatis* Lipsi. editam.

l) Erant acu affabre pictae figurae palmae. Neque tamen toga picta idem erat ac *palmata*, ut putat ISIDORVS *Orig.* XIX. c. 24. Porius togam pictam a *palmata* FLORVS l. I. c. 5. et LIVIVS l. XXX. c. 15. itemque alii Scriptores discernunt. Omnis *palmata uestis*, pi-

cta erat habens palmas pictas, sine intextas. At picta habebat uariarum rerum, animalium quoque, imagines et formas, certarum rerum nomina, figuras acu expressas, cuius usus frequens, palmatae contra rarior.

m) Quia in huius Protoeremitaie uita narratur, quod in desertis Thebaidis locis palma, ramis late protensis, homini testum, cibum, folia, quibus ei uestes texerentur, exhibuerit: dici non potest quam sollers fuerit monachorum natio in singularibus de *palmea* Paulli ueste excogitandis narrandisque. Inprimis abusi sunt illi auctoritate HIERONYMI uitae eius scriptoris uel potius laudatoris satis creduli, et ab Antonii discipulis Amatho et Macario, unde haec se accepisse testatur, forte decepti. Nostra aetas hac in re non meliorem tulit prognoiem. Nam in libro cui titulus: *Les Vies de SS. Peres des deserts et des saints solitaires d' Orient et d' Occident* pictus cernitur Paullus ea ueste, quasi obductus piscatorio rete esset. In HIPPOLYTI HELYOT *Histoire des ordres monastiques* contra, pontificali uelut habitu adparet, compositis artificiose palmarum foliis ad formam pluralis, quod uidetur esse nimium. Magis naturam sequitur IAC. CAVACIVS, qui in *illu-*  
*strium*

uestium. Adseruabatur hic ornatus honorificentissimo et illustrissimo in loco, in Capitolio scilicet o) aut etiam in Palatio, unde iis dabatur, qui uel prostratis hostibus, uel captis urbibus, uel alio uirtutis et consilii genere plurimum salutis publicae consuluerant. Ac primum quidem data est solis triumphum deportantibus: p) postea consules illa sunt uti: q) nonnunquam et Princeps

B 3

*Strinum Anachoretarum Elogiis* Venet. 1612. in 4. mai. editis spectandum exhibet Paullum, tegumento tantum circa femora de foliis palmarum. Quod eadem *palmea uestis* ab Antonio, eius eremi socio post Paulli mortem occupata, celeberrimis tantum diebus festis ornatum ei praebuerit, id facilius credi poterit, quam uisos ab eo Centauros et Satyros. Palium Athanasii, quod Paullus ab Antonio sibi expetiit, praebiturum morituro corpori inuolacrum, ait *Card. BARONIVS*, propheticæ ab ipso fuisse quaesitum, ut esset symbolum catholicae eius cum Athanasio communionis.

n) Notat *SERVIVS* ad *Virgilium* Eclog. X. v. 27. palmatam dici *tunicam Iouis*, Iouis ornatum, Iouis exuitas appellari. Per eminentiam dicebatur *capitolina*, et, quia in triumphis praeciui usum praefabatur, *triumphalis*.

o) Is enim locus a profano hominum aditu maxime remotus, praeter ea augustissimus, commodus erat adseruando huic corporis habitui uelut sacrationi, ubi repositae erant multae aliae uestes pretiosae, quibus Deorum simulscra statim diebus ornabantur. Scribit enim *LACTANTIUS* Romanos peplos et indumenta pretiosa diis, quibus usus uelaminis nullus sit, consecrare. uide *IV-*

*STVM RYCVIVM* de *Capitolio Rom.* c. XIX. Aliud quoque domicilium publicum nec minoris magnificentiae, *Palarium* nimirum, adseruationi *Palmatae* inferuit, de qua re confer *SAM. PISCVM Lex. Antiquit. Rom. T. II. u. Toga Palmata.*

p) *ISIDORVS* l. I. datam uestem palmatam memorat reportantibus de hostibus palmas. Sed longe maius requirebatur. Personae primum sibi uindictantes locum erant *Triumphantes*, et eminuit praee aliis *Aemilii Paulli* triumphus de quo *Liuius*. Sed in praesenti uno *TREBELL. POLLIONE* utar, Gallieni stultitiam narrante, quod *interfectis apud Byzantium militibus* Tunica Palmata Capitolium perierit. in uita Gall. Edit. *Scriptor. Hist. Aug. SALMAS.* p. 178.

q) Quia a Consulibus prudentia et domi et foris omnia pendeabant idem, qui uictoribus honor illis deferri coepit. Putabant foris parua esse arma, nisi consilium sit domi. *CICERO* *Offic.* l. 22. Intelligitur hoc ex *CASSIODORO Variar.* l. VI. c. 1. *Priscorum iudicio qualis sit consulatus, hinc omnino datur intelligi, quod inter mundi dignitates eximias solus meruit habere Palmatas Vestes, quas feliciter dabat praemia uincientium.*

r) Erat

ceps foederatos honoris causa donatos esse palmata ueste constat. r)

Originem huius consuetudinis prodit FLORVS s) narrans a Tarquinio Prisco, subactis Tusciae populis inter cetera decora et insignia, quibus imperii dignitas eminet, usum togae pictae tunicaeque palmatae Romae introductum esse. Sequentibus autem faeculis et Praetores et Priuati, ut IULIVS CAPITOLINVS t) auctor est, hanc sibi togam sumserunt. Illud tamen pro certo adfirmari non potest, qui palmatam adepti essent, eos mortuos in rogo cum illa comburi solitos fuisse: quanquam caeteroqui fatis ex ueteribus monumentis constat, pretiosas defunctorum uestes persaepe in eorum sepulcra simul fuisse inlatas. u)

Qui splendidus habitus maxime uidetur ornare debuisse triumphantem Christum? Quae maior alia et laetitiae plenior uictoria, quam ea, quae uno tempore a tot maximis terribisque hostibus, a peccato, a mundo, a morte, a diabolo est reportata? Itaque toga illius est alba, niuea purpura, et

r) Erat Senatui Romano moris, ut quos amicos rei publicae reges et foederatos habebant, iis TVNICAS PALMATAS mitterent. De Masinissa rege refert LIVIVS Hist. XXX. c. 15. cum toga picta et PALMATA TVNICA donatum, et apud CASSIODORVM Var. lib. VIII. initio haec Athalarici ad Iustinianum Imperat. uerba habentur: Vos genitorem meum in Italia PALMATAE claritate donastis.

s) FLORVS Hist. L. I. c. 5.

t) In Gordianis III. p. 152. Salmast. edit. Scripior. Hist. Aug. de Gordiano seniore scribit: PALMATAM TVNICAM et togam pictam primus Romano-

rum priuatus suam propriam habuit, quum ante imperatores etiam de Capitolio acciperent, uel de Palatio.

u) Mihi quidem id eam ob causam uix uero simile uidetur, quod POLYBIVS Hist. L. VI. c. 51. narrat, Romanos simulacra hominum de re publica bene meritorum et uita sanctorum uestimentis adornasse splendidissimis, si publicae fierent sollempnitates. Puto autem, uestimenta, quibus simulacra ornabantur, ea ipsa fuisse, quibus induti rei publicae illi profuissent. Diebus enim festis, Iouis simulacri faciem inuio illini solitam et triumphantium corpora exornari consueuisse auctor est PLI-

NVS



quandoquidem omnia in Veterum triumphis erant alba, quidni purpura niuei coloris in triumphante, \*) qui aliena scelera luens, ipse innocentissimus erat? Sed idem praetextam habet rubri coloris uestem, quia ex finibus Edomiticis ueniens ideo rubet, quod solus torcular de uuis rubri coloris calcarat. **ESAIAE LXIII. 2.** Vnde sponsus idem et candidus et rubicundus adpellatur. **CANTIC. SALOM. V. 10.** Idem habitus eius fulget aureis flammigerisque palmarum figuris, sane innumerabilibus, si per unam Palmae figuram, unum peccatorum delictum genus sttuas.

Illa uictoria, ille triumphus Christi maximam uim et efficaciam exseruit in iis, qui eo tempore pro nominis Christiani gloria uitam posuerunt, ut aliam, quae uere uita esset, consequerentur. Induebantur, qui triumphabant apud Romanos, toga ex Palatio aut Capitolio: Martyres Christiani de caelo accipiebant et hodiernum pii homines omnes eodem ex loco accipiunt. Neque aliter cum iis comparatum est Christianis, qui ducis et imperatoris Christi exemplo, in eius cruciatuum societatem adsciti, uaria

discri-

**NIVS I. XXXIII. c. 7.** Morem, Defunctos pretiosis uestibus exornandi, apud Gentiles in usu fuisse, ex *Emii*, exhibitum in *Cresphontis* nece laetum describens, uerbis, planum est

*Neque terram iniicere, neque cruenta  
Comestive mibi corpora licuit  
Neque misere lauere lacrymae salsum  
sanguinem.*

Apud Vet. Christianos bene lota et mundis linteis uel inuoluta uel ornate uelita defunctorum corpora sepulturae mandabantur. Post ea autem quum immanes sumtus in uestendis exornandisque cadaueribus irrepissent, acriter in luxum, ecclesiae doctores, *Chrysostronus*

praecipue, detonuerunt. De qua re multa reperies apud **PAVL. ARINGHIUM** *Romae subterr.* L. I. c. 25. ubi *S. Caeciliae* et *S. Marini* corpora aureis magnificisque tecta uestibus, post multa saecula reperta, memorat. Quae autem **CHIFLETIVS** in *Anastasi Childerici* cap. VI. praecipue, de hoc more disputat, notissima sunt.

\*) Decet enim praecipue Christum purpura candidissima Hermionica, cuius candido oleo candidioris redditae (*ἐλαία δε λευκή τῶν λευκῶν ἀλεγγάν*) et inter thesauros, *Sulis* ab *Alex. M.* repertae, meminit **PLUTARCHVS** in *Alex.* p. 686. edit. *Francof.* an. 1620. T. I.

discrimina et multiplices passionum formas, dum inter homines uiuunt, subire ac perferre coguntur. Est enim hominis Christiani uita, perpetua lucta cum uitiorum prauitate, cum illecebris mundi et diaboli. Sed *uincunt, dum uinci uidentur*, modo animum fidei constantia firmum retineant.

Vnde autem Christianis in captiuitate uictoria, in passione triumphus? Ab uno certe illustrissimo uiuentis et sepulcrum mortemque eludentis Christi triumpho.

Celebremus igitur OPTIMI CIVES his diebus, Christo triumphanti sacris, neque his tantum, sed omnibus uitae nostrae diebus, gloriosissimum triumphum *Sospitatoris* nostri, mente pura castaque, animo grato et pio, uoluntate serua et indies ardentiore uincendi omnia genera uitiorum et uoluptatum.

Palmeam uestem Paulli Thebaei Antonius eremi eius socius et haeres in moeroris solatium accepisse, tunicaque palmata sibi cariorem diebus tantum festis Paschatos gestauisse memoratur. Nos, CARISSIMI CIVES, *Palmatam Christi Vestem* non per pauculos tantum dies, sed perpetuo contemplerur, et inde solatium nobis aduersus quascunque aduersitates petamus.

Nunc in praesenti memores simus fidelium uerbi diuini ministrorum, iisque larga manu oblationes ad aram faciamus. Quid enim in rebus maioribus et grauioribus praestituri uidemur, si ad minima officia negligetiores fuerimus?

---

P. P. in Academia Vitebergensi ipsis Vigilis Paschalibus

An. C. N. MDCCLXVI

---

LITERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII

ACADEMIAE A TYPIS

Th: 780

ULB Halle

3

002 500 698



Sb.


KO17

D

n. C.







25

RECTOR  
ACADEMIAE VITEBERGENSIS  
GEORGIUS AVGVSTVS  
LANGGVTH

PHILOSOPH. ET MEDIC. D. PATHOLOG. ET  
CHIRVRG. P. P. ORDINARIVS FACVLTAT  
MEDICAE SENIOR

*CIVIBVS ACADEMICIS*

S. P. D

ET AD SACRA CHRISTI TRIVMPHANTIS  
PASCHALIA

CELEBRANDA INVITAT

---

IN EST DE CHRISTI EIVSQUE MARTYRVN VESTE PALMATA

---